

Detector Vacca criminibus instat

Nomen mihi est Vacca. Iacobellus Vacca. Detector¹ sum privatus, aenigmata criminum indago. Senex rude donatus² iam sum, sed, primum, pecunia emeritaria, quam mihi non satis prudenter comparaveram, paucissima est – non enim putavi tam longam me vitam acturum. Secundum, detectores, praesertim privati, re vera numquam otio fruuntur. Nisi in sepulcro fortasse. Crimina investiganda sunt quasi alea – semel cum luseris, semper ludes.

Ita hodie septuagenarius porro res criminales investigo, fortasse non tam crebras ut solebam, sed aequae cum acri animo.

Verum quoque est me nulla alia res praeter crimina scrutanda delectat. Olim, ante annos, libenter colebam etiam Venerem et Bacchum, sed illa ob senectutem, hic autem a medicis prohibiti mihi sunt.

Vacca certe nomen falsum est, sed adhaesit bene – multi putant id meum nomen gentilicium. A sociis in ludo grammatico accepi. (Sane crudeliter isti – cur me taurum potius non nuncupaverunt, si debebat vero esse quid bovinum? Taurus certe nobilior quam vacca. Sed pueri puellaeque crudeliores sunt saepe sicariis.) Mentis tarditas mihi hoc indidit nomen. Ita vero, lector care, recte legisti. Quasi cogitarem tam diu quam vacca cibum ruminans. Sic et socii, et nonnulli magistri mei putabant. Bene, sit illis! Fortasse cogito aliquantulum aliis lentius, sed sine dubio funditus – cavete mihi male optantes! Iam potius vacca sim, quam caput fervens, quod celerrime at negligenter res tangat. (Ceterum, quis dixit Salomonem citissime cogitasse? Sine dubio ante unumquodque sui iudicium divulgandum paululum secum rem ponderabat.)

1 Detector - Anglice *detective*. Qui scilicet criminum veritatem detegit. Fortasse Latinius esset inquisitor aut indagator (causarum), sed *detective*, quae vox plane e stirpe Latinā oritur, a tot linguis hodiernis accepta est omnibusque legentibus intellegibilis.

2 Rude donatus – Anglice *retired*. Ob morem gladiatores veteres, postquam officia expleverunt, rude donandi, quā pugnas cum sociis exercere solebant. Etiam: rudiarius, emeritus.

Res fortasse lentius sed cautius intuens, conspicerere plura valeo quam alii citissime ad sibi destinata currentes. Ita iam puer haud pauca sciebam de vitā, etiam vitā secretā, et puerorum sodalium et adultorum circum me viventium. Etiam res, quas scire fortasse nolebam. De divortionibus ex. gr. parentum condiscipulorum meorum in ludo scivi interdum prius quam sodales, nisi fortasse prius quam ipsi parentes. Facilius aliis, puto, animadvertēbam vestigia discordiae domesticae in facie uxorum ac scivi earum matrimonia in novem ex decem casibus spatio duorum triumve annorum ad finem adductum iri. Crux mea generaliter erat (et ad hunc usque diem manet) subita scientia rerum, quas scire minime vellem. Ut dies mortis meae, quem duae fatidicae – duarum variarum terrarum, sibi ergo invicem ignotae – mihi in idem tempus indixerunt! Me vero stupidum de hac re eas interrogasse! Veritas, ut supra dixi, nocet.

Tarda mente praeditus quomodo detector factus sim, fortasse, lector, requiris? Ut adulescens insociabilis magis quam cum sociis pilā in campo ludere amabam legere libros, etiam, aut fortasse imprimis, fabulas de criminibus investigandis. In quibus interdum coniectare valui perpetratorem antequam scriptor fortasse me id scire vellet. Si cum fratre (me duobus annis maiore natu) et sorore (uno anno minore) unā pelliculam criminalem in televisorio spectabamus, semper primus clamavi: *Hic fecit! Hic necavit!* Numquam errans. Hoc ingenium cum in me frater sororque vidissent, alios sodales huius rei certiores fecerunt. Quorum nonnulli postea, cum adulescentia eorum magis magisque annis vertentibus perplexa facta esset, interdum me de ope ferendā in hac aut illa re solvendā rogabant. Quae sunt amores infideles. Quae sunt res ob furtum amissae. Quae sunt conspirationes consanguineorum in testamentum mutandum. Talibus et similibus rebus magnam partem a me solutis, crevit inter amicos fama mei ut solutoris aenigmatum.

Primum autem “crimen” quod extra orbem familiae sociorumve solvi, rationibus detectoriis adhibitis, puto fuisse casum canis Yorkiani³ baronessae T.

3 Fortasse Latinius: canis Eboracensis. Urbs enim York a Romanis condita Eboracum nomen habuit. Inde certe et Novum Eboracum – New York City.

CASVS MEVS DETECTORIVS PRIMVS: CANIS YORKIANVS
BARONESSAE T.

Lyceo non tam magnā cum laude absoluto, nescivi quo me in vitā magis magisque adultā verterem aut cuive imprimis rei in universitate studerem. Nimis multae res me leviter delectabant, vere tamen nulla. Per unum annum arcana artis medicinae perscrutabar, unde mihi est notitia haud spernenda materialiarum toxicarum chimicarumque, quae maximo usui se deinde praebuilt in criminibus investigandis. Ipsa tamen medicinae studia colere pergere desivi postquam in laboratrīnā universitariā mus, cui caput desecturus scalpello paratus eram, tam saeve digitum mihi momordisset, ut dolore furens omnia circum me in laboratrīnā iacentia calce percutere coepi, ita ut incendio – ob liquorem quendam, qui facile flammam capit, e retortā a me fractā effusum – laboratrīna sit vastata. Damna cum pater pecuniā haud parvā sarsisset, familia decrevit me medicum porro non futurum. Spero saltem murem sospitem incendii fuisse.

Conatus tunc sum studia linguarum cognoscendarum incipere, sciens ibi nullas bestiolas me morsuras latere⁴. Studui Sinicae atque Arabicae – valde mihi ambo sermones placebant, itinera quoque eorum exercendorum causā in Asiam ter feci. Insuper, nonnullis linguis exoticis studui solius oblectamenti causā, ut ex. gr. Georgicae, Aegyptiacae, Etruscae, Hebraeae, Suahili aut Coreanae, quarum primitias tantum gustavi ac ne harum quidem magnam partem hodie memoriā teneo. Volui munus accipere interpretis apud Foederale Officium Investigationum⁵ (audivi enim hos bene pro munere soluturos), sed cum tempore illo bellum quod “frigidum” vocamus, gereretur, interrogaverunt me, quin potius Russicae studerem ac munus non dederunt. (Hodie certe cum Sinica et Arabica Croesus essem inter interpretes.)

4 Historia muris digitum discipuli mordentis vera est. Ob hanc rem Nicolaus Simonides, nunc praeclarus in Polonia professor philologiae classicae, studia sua biologica (quae primum inceperat) pergere desivit. Cum bono effectum Latinistis muribusque.

5 Quasi FBI US-Americanorum. Detector Vacca vivit in “quadam anonyma terra occidentali”.

A moderatoribus FOI ita dimissus, conatus sum biocolytas⁶ adire ut detector publicus apud eos fierem, sed frustra: examen Sternianum intellegentiae non superavi. Tunc tamen iam famā quādam gloriabar nonnullorum aenigmatum criminalium a me solutorum. Primus horum fuit casus canis Yorkiani baronessae T. Qui casus quasi inopinatus mihi in manus incidit.

Tunc adulescens sedecim, si bene memini, annos natus mense Iunio opus faciebam in cauponā. Talis mos familiae meae erat. Pater sat dives fuit, sed voluit filios filiamque fieri quam citissime capaces, ut dicere solebat, iuris sui. Itaque nos omnes, a decimo quinto sextove aetatis anno, tempore feriarum ire in opus loco hoc aut alio spatio unius aestivalis mensis solebamus.

Hac aestate munere ministri cauponarii⁷ fungebar in deversorio “Larus” oppidi maritimi cui nomen Nycteria, quod ab urbe meā patriā Cosmetopoli undeviginti milibus passuum distat, iuncta cum eā viā ferratā atque autocineticā, cuius bituminata superficies multis tunc foraminibus infestata erat, quae foramina hereditas fuerant praeteriti belli mundani ac postea ignaviae magistratum. Cosmetopolim ad orientem habens, ad occidentem spectabat Nycteria in sui quasi sororem – septem milibus passuum remotam Calacarin, in ipso litore maris sicut saxum magnum stantem. Ambo oppida sunt maritima, visitoribus ferias acturis, praesertim tempore aestivali, valde grata.

Nycteria aquis tepidis apud viatores celebratur, item actā perlongā (tribus fere milibus passuum) ac plenā harenae flaventis. Necnon corallio, quod multos urinatores atque interdum – licet rarissime – lamias marinas⁸ ad se attrahit. Ob timorem harum ego rarissime corpus undis illic dabam. Multi me ob hanc nimiam – ut putabant – timiditatem irridebant, sed ego ipse noveram Nycteriae duos, qui piscium istorum pabulum sunt facti, eā ceterum ipsā nocte, qua brevi ante matrimonio erant coniuncti, hospitibus nuptiarum frustra reditum coniugum

6 Biocolytae – Anglice *policemen*. Etiam: vigiles publici, astynomii (=protectores urbis).

7 Minister cauponarius – Anglice *waiter*. Etiam: puer (cauponarius).

8 Lamia marina est nomen a me fictum pro Anglico *shark*. Antiqui variis nominibus bestias, quae in mari vivunt, nominabant, non clare genera eorum discernentes, ut: squalus, pistrix, canicula (marina).

novorum in litore exspectantibus. Utique ego equidem multum praestare puto prudentiā rideri quam imprudentiā mori.

“Larus” fuit maxime spatiosum, at certe luxuriosissimum deversorium Nycterianum. Possessor eius sodalis patris mei bonus fuit – ambo equitantes, grege canum vertragorum stipati, vulpes autumnno cum aliis huius regionis primoribus venari solebant. Diebus autem Dominicis toto fere anno – brumis nive plenis exceptis – pilā paganicā⁹ in hortis huic ludo destinatis libenter ludebant. Inter hospites deversorii habuimus viros locupletissimos atque in rebus publicis versatos, principes, histriones Hollywoodianos necnon patres ecclesiae cardinales ferias apud nos agentes. Sed cauponam, ubi munus mihi erat, etiam homines communes, quos taedebat vespere domi manere, frequentare solebant. Adveniebant ita illuc, praeter deversorii hospites, unā fere quaque nocte mulieres, quas modo deseruit amator, saepissime provectae iam aliquantulum aetatis – hae nimium semper biberunt ac deinde ope egebant in domo suā repetendā. Adveniebant quoque ad poculum vespertinum sumendum omni generis artifices infelices, poetae sprete a Musis ac scriptores nullius libri, musici odeo propter vinolentiam expulsi aliique eiusdem farinae, tam senes iam barbati quam iuvenes supra nubes volitantes. Horum duo tresve semper tacebant, quasi aliquid grave secum meditarentur, alii tamen rursus garruli – horum gratiā post duas tresve ad summum noctes operis noveram arcana vitae privatae omnium hornotinorum deversorii hospitem.

Subito fata linguis garrionum dederunt rem novam atque incredibilem tractandam: canem scilicet Yorkianum baronessae T. furtim ei ablatum. Baronessa hospes spectabilis unoquoque anno mense Iulio exeunte atque Augusto ineunte erat deversorii nostri. Cum ipsa bis terve, cane suo circum pedes versante, cauponam diebus modo praeteritis visitasset, omnes imaginem Fabricii (nomen id cani fuit) memoriae nostrae probe impressam habuimus.

Baronessa mulier erat non iam iuvenis, sed adhuc perquam formosa, incedens, ut hominibus ordinis sui incedere decet. Cultissima – diceres non mulierem cauponam sed navem

⁹ Pila paganica – Anglice *golf*. Etiam: pila Scotica.

celebrem plenis velis portum regium intrare – ac moribus vero regiis praedita. Negotiatores¹⁰ quibuscum negotia habebat – possidebat enim vastas officinas regebatque societates grandes in diverso varioque genere operum et commercii quaestum facientes – putabant eam habere cor silice concretum, quo aemulos in negotiaturā crudeliter tractet. Sed nobis, deversorii operariis simplicibus, se praebebat esse mitioris animi. Memini, cum poculum menthae piperatae frigidae¹¹ in mensam ei apportabam, nam hac potione maxime delectabatur, allevare interdum solebat ad me oculos subtristes, quasi dicere oculi hi vellent: *Putasne, puer, baronessae vitam suavissimam esse? Quam erras!* At nunc nova baronessae cura: canis quem tantopere amabat abductus est!

Die postero, id est Martis, mane, eā horā cum hospes rarissimus cauponam intrat, legi in actis diurnis “Prodromus Nycterianus”, quae ad usum hospitem tenebamus, praeconium extraordinarium a baronessā T. datum: *Raptores, ubi est vestra humanitas? Reddite mihi canem, quem tantopere amo! Pecuniā vos haud parvā remunerabor.* A ianitore Beniamino, qui ob munus suum omnes res velit nolitve intuitur ac multa saepe audit, didici raptores praeterito die aggressos esse per dolum nobis omnibus notum veterem pronavarchum¹² Herimannum, qui nonnullis iam annis canem Yorkianum baronessae T., quodcumque haec Nycteriae aderat, curabat temporibus, cum ipsa baronessa ob negotia aut oblectamenta specialia (ceui iter suā navi veliferā celerrimā) canem secum comportare nequiret. Pronavarchus – veterator marinus – nunc rude ac plenissimā barbā albā donatus, pecuniam additiciam talibus operis merebat. Raptores – par iuvenum – simulantes se velle tam pulchrum canem mulcere, ad mensam assederunt (primum liceretne id sibi urbane rogantes), ubi nauta noster potionem limonatam ducebat. Deinde, pronavarcho paulisper aliquid circa canem curante ac caput ad Fabricium inclinante, poculo nautae sine dubio addiderunt mixturam soporiferam, nam subito obdormivit pronavarchus in sellā. Post quadrantem horae partem ante subito expergefacti Herimanni oculos apparuit horroris imago: canem abductum esse! Solum quod canis

10 Negotiator – Anglice *businessman*.

11 *Peppermint frappé*.

12 Pronavarchus – Anglice *boatswain*. Qui in navi veliferā vela ac rudes curat.

cervicibus gesserat lorum, nam ne sopitus quidem lorum sibi de manu, digitis in pugnum artatis, eximere passus est – erat raptoribus collare, quod a cane gestabatur, laxandum.

Tunc statim ad baronessam pronavarchus cucurrit, ubi flens ei facta, ut fuerant, rettulit. Biocolytae ad locum arcessiti primo rem naso suspenderunt (“Canis nobis sit quaerendus, cum homines pereunt?”), sed post nonnulla telephona quae baronessa ad potentes amicos fecerat rem cautissime indagare coeperunt, suos ad perscrutandum omnem oppidi viculum angiportumque mittentes. Frustra tamen: canis sine vestigiis evanuit.

Praeconio in “Prodromo” divulgato, dies et alter transierunt at nemo raptorum missit baronessae nuntium, ut de lytris colloqueretur. Tunc hospites cauponam intrantes de nullā aliā re quam canis Yorkianus loqui coeperunt, magnae varietatis solutiones rei praebentes, ceu: 1) canem a domino Y.¹³, olim amatore baronessae, raptum, quem illa duro atque immemori pectore praeterito anno reliquerat – esset ergo quasi ultio repudii: canem certe iam esse mortuum, baronessae vero capsulam per cursum publicum missum iri ossa continentem; 2) Fabricium a Vietnamensibus abductum, qui canes comederent – habebamus enim et Cosmetopoli et Nycteriae coloniam Vietnamensium, quorum nonnulli, coqui exquisiti, cauponas tenebant, cibos suos varios parvo pretio incolis urbis praebentes, numquam tamen caninam (scientes nostrates tali ab escā abhorrere); 3) canem re vera non canem fuisse sed automaton, quod lapones, negotiatoris aemuli quodam baronessae mandato, fabricati sunt, ut vitam ac negotia baronessae exploraret duobus microcameris pro oculis caninis instructis. Et ita porro, mera deliramenta.

Mihi res tota statim mira visa est. Cur? Primo, pronavarchum dicere se materiā soporiferā sopitum, at quadrante horae parte postea iam cito ad baronessam currit. Non magnam scientiam tunc – nondum enim studia mea medica susceperam – habui materialium soporiferarum, scivi tamen tales mixturas, quas sodales mei in lyceo adhibere solebant ad puellas stuprandas,

¹³ Dominus Y. fuit in nostra regione necnon tota civitate notus negotiator industriae ferrariae. Insuper gubernator clarus bolidum Formulae Primae, qui post nonnullos annos in cursura F1 infortunio mortuus est.

reddere victimas graviter dormientes spatio trium vel duorum saltem horarum ac postea quoque nihil item fere, quid ante se sopitas accidisset memoriā tenentes. At nauta ad punctum rettulit omnia, quae passus erat, praeter facies formamque raptorum, quarum rerum non clare meminerat. Sed fortasse, mecum volutabam, cerebrum veteratoris marini tam robustum est, ut ne materiae quidem soporiferae eum laxent – praeterquam quod in somnum illum brevem sit lapsus. Aut materias has veteres ac non iam tam validas fuisse.

Insuper... Numquam antea videram pronavarchum potionem limonatam ducentem. Memini eum dicere se ob timorem bacteriorum bibere tantum temetum – praeter horas matutinas cum aquam mineralem Germanicam bibit. Regula ei erat temetum bibere secundum colorem caeli: a meridie, cum bibere incipiat, necnon postmeridiano tempore vinum album, vespere ac noctu nigrum. (Cum classiarius classi militari adesset, rhodium lamaicum et nihil aliud totum per diem biberat, nunc autem, senex, magis valetudinem sibi curandam decrevit, at omnes scimus vinum effectum salubre corpori animaeque afferre. Memini pronavarchi mihi dicentis sese in symbolā quādam “Prodromi” legisse unum poculum vini per diem adhibitum additurum homini sex fere novos vitae annos.

- Vivam ego ergo centum viginti duos annos additicios! – conclamavit. Nam perdius sumere solebat viginti duo pocula.)

Nunc tamen limonata... Sed fortasse, mecum volutabam, cum apud baronessam munere custodis canis fungeretur, moribus penitus mutatis bibit nunc pronavarchus nil praeter limonatas? Mirum, sed fieri potest.

Perendie tamen a praeconio divulgato vespere, sc. die Iovis, vidi pronavarchum nostrum in caupona deversorii bibere potiones minime limonatas, manibus aliquantulum trementibus, verisimiliter ob sollicitudinem animi singularem. In sellā altā prope mensam communem – id est iuxta me – capite demisso sedebat, ad seipsum murmurans, si bene auscultavi, plus minusve talia: *Male parta male dilabuntur..., O quae mutatio rerum!..., Qualis barba, talis arba*¹⁴..., *Sed ubi gentium...?*

14 Arba – est vox nihil significans, nisi fortasse apud Hebraeos, ubi significat ‘quattuor’.

Praeter nos nemo tunc cauponae aderat. Poculum nautae cito exsiccatum vino novo implevi. Ac mox altero. Manus pronavarchi tremere cessaverunt. Tunc rogavi, quid re vera cum cane eo die malo esset factum.

Sustulit lumina ut me recte intueretur. Primum quasi voluit omnia negare, deinde manum agitavit gestu deditionis.

- Perditus homo sum utique! – murmuravit, acie oculorum denuo in mensam infixā.

Inter nova pocula confessus mihi est, rogans ne alios huius rei certiores facerem – quod demum nunc, post tot annos, ipso pronavarcho diu mortuo, facere contra voluntatem eius audeo – se die Lunae, fortasse potus iam nonnihil, canem aliquo in loco amisisse. Cuius rei certior factus est demum horā sextā cum dimidiā vespertinā, cum in deversorii aulā, quo advenit, ut Fabricium famulae baronessae more solito redderet, in speculo magno iuxta anabathrum¹⁵ posito seipsum conspexit stantem cum loro canis de manu pendente, sed... sine cane in alterā lori extremitate! (Solum collare laxatum de loro pendebat.) Et ob timorem irae baronessae T. fabulam de raptoribus iuvenibus sese sopientibus statim mente finxit.

- Mentitus sum – flendo coram me admittebat – et coram baronessā, et coram vigilibus publicis! Scelus sceleratissimum! O, me inhonestum, vilissimum monstrum, indignum quem terra portet!

Novum poculum nautae implendo rogavi ut narraret mihi omnia, quae eo die evenissent, sicut ea memoriā teneret, incipiens ab ipso mane.

- Hem... hem... – balbutire potius quam loqui coepit, sed, haustu vini adiutus, verba invenit, quibus casus omnes huius diei sat clare depingeret. Ita in chartula indicem rerum a nauta die Lunae factarum ordine horarum sex punctis descripsi:

I. Horā octavā matutinā. Ad tonsorem, ut mos ei est diebus Lunae, pronavarchus ivit, nam ipse ob manus trementes barbam attondere non potest. Tremunt tamen manus eius maxime mane, antequam primum poculum vini albi sumat –

¹⁵ Anglice *lift*.

quod more solito fit meridiei puncto (mane, ut diximus, nauta ieiunium observat, solam aquam mineralem e Germania importatam bibens, quia inter omnes aquas minerales minimum numerum bacteriorum aquae Germanicae habeant, quia inter omnes mundi gentes bacteria maxime timeant Germani). Haec res tamen nullius est nobis momenti, nam evenerat prius quam canem a famulā baronessae T. pronavarchus accepit.

II. Horā nonā cum minutis decem. Canem a famulā baronessae T. Herimannus accepit.

III. Meridie. Pronavarchus domi suae primum huius diei poculum temeti sumpsit. Ante meridiem pronavarchus, ut diximus, nil praeter aquam bibit. Nam, ut ait, cum vino cautissime est procedendum, neque ipse umquam ultra viginti duo pocula spatio unius diei sumit. Nec inter horam quartam nocturnam et meridiem quidquid vini aut alii temeti sugit, nam, ait, corpori tempus dandum est ut purgetur. Si omnes cives nostri tam prudenter agerent...

Meminit nauta se statim post primum eo die poculum alterum poculum vacuefecisse ac manibus minime iam trementibus canem blanda manu tractasse. (Ergo canis nondum amissus tunc erat.)

IV. Horā pomeridianā primā. Prandium et sibi et cani domi suae dedit. (Fabricio enim, sicut homini, ter in die cibus dabatur.) Ambo cibos cito comederunt. Pronavarchus tertium et quartum huius diei poculum vacuefecit, cane eum id facientem mire intuite. (Ergo canis nondum amissus tunc erat.)

V. Horā tertiā cum quadrante. Meridiatione brevi ambo bene usi, et pronavarchus et canis ad stationem ferrivariam ambulaverunt, ut Calacarin tramine peterent. Ibi materteram nomine Carolina visitavit nauta noster occasione eius diei nominalis, ubi nonnulla pocula vini albi ambo vacuefecerunt. (Hoc narrationis momento monui senem diem sanctae Carolinae iam ante tres septimanas, Kalendis sc. Iuliis, apud nos celebratum esse. Hic tamen explanavit visitationem seram fuisse ob multum numerum negotiorum sibi faciendorum, quae negotia prohibuerunt eum, ne prius, die sc. ipso sanctae Carolinae, consanguineam visitaret.) Aliquid mirum in hac

fabulae parte latere suspicans, poposci ut me praesente materterae telephoneret rogaretque meminissetne illa nautam unā cum cane domum suam reliquisse. Paululum infelix – “Hora iam sera est!”, reclamare conatus est – nihilominus, a me coactus, fecit pronavarchus quod ab eo petivi ac mox materteram etiam ego prope stans clare audivi confirmantem (voce ceterum admodum iuvenili) nautam unā cum cane tramen Nycteriam repetens eo die Lunae ascendisse – ipsa cum iis ad stationem ferriviae ivit (horam certam non meminerat, putabat circa quartam fuisse). Omnia ergo bene procedebant in factis diei illius in memoriam reducendis, praeter fortasse quod vox materterae ad mulierem spectabat non plus quam quadraginta annos natam – videlicet veteratorem nostrum marinum, qui vir tunc erat plus quam sexaginta quinque annorum, societate se multo natu minorum “materterarum” delectari. Sed haec res nullius erat mihi momenti, praeter certe quod confirmavit canem Calacari amissum non esse.

VI. Horā quartā cum quadrante (ut vult pronavarchus) aut paulo post (nam scimus senescentes nautas visitare “materteras” aliquantulum fortasse longius exspectato) nauta noster tramine repetivit Nycteriam. De tramine tamen descendit solus an cum cane?

- Aderatne tibi Fabricius in statione? – rogavi.

- Ut verum tibi dicam, non memini – respondit pronavarchus. – Aderat certe... lorum.

Timui primum ne canis in tramine esset amissus. Timui eum Nycteriae unā cum nautā non descendisse, sed porro Cosmetopolin petivisse, nisi alias urbes oppidave, quo tramen postea tenderet. Tunc multo difficilius esset eum sequi, praeconia fortasse in actis harum urbium omnium diurnis divulgando.

Sed, si aliter res sese haberent – canem scilicet Nycteriae de tramine unā cum nautā descendisse atque illic demum amissum esse – cur ipse deversorium Fabricius non inveniret? Oppidum non erat tam magnum ut canis iter non longius quam mille passus – quae est distantia inter deversorium et stationem ferriviariam – memoriā non teneret, praesertim cum cotidie

fere, secundum testimonium pronavarchi, ambulationes longas per vias angiportusque Nycterianas facere solebant – putares post septimanam, cum baronessa T. apud “Larum” morata est, canem mente chartam geographicam oppidi clare impressam habere.

- Deversoriumne – rogavi pronavarchum – viā rectā e statione ferroviaria petisti?

- Ita, mi domine – respondit citissime. Ac... vehementissime. Nimis cito ac nimis vehementer, ut id verum esse crederem. Intuens ita oculos nautae diu tacebam.

- Re vera... – confessus est, aciem in se infixam meorum oculorum pati diu non valens. – Viā fortasse... non semper... rectissimā.

- Hem...?

- Tabernam visitavi, ubi vinum ab ipsis factum tam sapidissimum praebent.

- “Gryphitas”?

- Ita. Tu quoque horum vinum amas?

Ergo telephonandi mihi erant “Gryphitae”. Nox iam erat, sed tabernae vinariae quoque, nisi imprimis, noctu operantur – telefonavi atque interrogavi, si meminissent visitationis pronavarchi.

- Ita, meminimus – respondit vox cauponae veteris. – Caniculā illā miserrimā comitatus advenit. Ambo deinde tabernam nostram reliquerunt deversorium petituri.

Mulier certe de rapinā Fabricii audiverat. Mihi testimonium eius levamento magno fuit – scivi nunc pro certo canem Nycteriae, non in tramine amissum esse.

Nihilominus, si “Gryphitis” relictis deversorium ambo unā petiverunt, cur, hercle, tantum unus huc pervenit?

- Post „Gryphitas” etiam aliquo in loco mansisti? – quaesivi ex vi nautā, poculum eius denuo vino nigro replens. – Noli mentiri, quaeso!

- Veritatem verissimam dico! – respondit, poculum novum exsiccans. – De “Gryphitis” viā rectā huc redivimus... Id est, ego redivi. Confiteor, volui et “Sub rosā” vinum locale gustare, sed, primum, hora iam erat sera ac nolui baronessam propter me debacchari. Secundum, cum praeterito tempore “Subrosanis” adfui, vappam mihi dederunt. Praeterivi ergo hac vice locum eorum, deversorium baronessae rectā petiturus.

Mente pinxi viam e “Gryphitis”, iuxta popinam “Sub rosā”, usque “Larum”. Omne compitum, omne aedificium. Non est ceterum via tam longa...

Et... subito intellexi!

- Canem puto – dixi – adhuc vivum esse. Degentem quadringentis plus minusve passibus a loco nostro.

Pronavarchus intuitus est me suspiciose.

- locumne dicis, adolescentule?

- Minime.

Noveram Nycteriam fortasse magis quam urbem meam patriam – hic enim unoquoque anno a pueritiā tempus aestivale cum matre trivi (pater semper negotiis alibi versabatur, visitans nos demum ultimis duobus vel maxime tribus diebus feriarum). Cum aliis pueris tum Cosmetopolitanis cum indigenis solebamus omnem oppidi angulum lustrare. Scivi ergo adesse Nycteriae duo sola loca, quae odoratum caninum fallerent ita ut canis deversorium recto itinere petens deerraret. Aut fortasse non tam odoratum fallerent, quam ipsam voluntatem domum revertendi infirmarent. Aut utrumque. Haec loca erant: portus piscem redolens (sed illuc pronavarchus die Lunae non ivit) atque laniena oppidana vici Boarii, redolens carnem. Quae laniena in mediā viā posita erat inter “Gryphitas” et “Subrosanos”!

Post decem minutas Fabricium vivum validumque, tenui lumine lampadis viariae illustratum, invenimus in hortulo parum culto aedibus lanienae adiacente, os magnum – se fere maius – corrodentem.

Ut mox didicimus, canis in casulā lanienae adpositā noctibus praeteritis mansit, ubi custos aedium senex cubile ei e pannis veteribus constravit. Qui vir senex, cum ephemerides non legeret, nescivit totum fere oppidum caniculam a raptoribus – ut omnes putabant – raptam quaerere. Biocolytas, qui num canem vidisset praetereuntes hunc locum fortasse interrogabant (nam omnia loca oppidi perscrutati vigiles sunt), gestu manūs tantum ac vultu hilari senex salutavit, nam... homo surdus erat utique.

Lanienam carnem redolentem canis noster Yorkianus cum sensisset ac custodem suum titubantem vidisset, decrevit fugere. Ut in loco tam bene olente potius quam in deversorio luxurioso tempus tereret. Ubi videlicet, quasi in canino paradiso manens, totius sui praeteritae vitae oblitus est neque deversorium dominamque repetere conabatur. Quomodo tamen collaris amplexum Fabricius ambulando laxare valuit, pronavarcho nihil periculi sentiente? At, sunt fortasse Yorkiani ingeniosiores, quam putant, qui vident in iis tantum ludibrium muliebre.

Restabat, ut baronessae T. Fabricium recuperatum nuntiarem. Sed... quomodo? Si veritatem rescisset, pronavarchum certe porro ad canis custodiam non iam amplius vocaret. Decrevimus ergo nos ambo, ut ego deversorium intrarem caniculam sub veste abditam portans ac Fabricium in limine conclavis baronessae relinquerem. Quod feci.